


05

A

776





1914. 2200

ΔΙΔΑΣΚΕΥΣΙΣ PHILOSOPHICA

De

VERO GENERE, GE-
NUINO ET PRIMO Τ ΠΑΡΚΤΙΚΩ SUB-
JECTO, ADÆQUATO OBJECTO DO-
CTRINÆ PHYSICÆ.

PRO CUIUS VERITATE

In Alma Uvitebergâ

DEO TRINUNO ANNUENTE

SUB PRÆSIDIO

M. MARTINI TITII
QUEDLINBURGENSIS.

Respondebit

Georgius Fabelius Lunæ-
burgensis.

Ad diem 19. Januar. horis à 6. matutinis.



WITTEBERGÆ,

Ex officina typographica Martini Henckelij.

ANNO M. DC. XI.

*Rev. u. Hochw. vireo Dn. Joanni Meyero. Diacono Ge-
ol. Fanthi seu e. amio f. m. mittit. for. exper. t. im.
Autor*



ADOLESCENTIBUS.

*Generis Nobilitate & virtute prae-
stantissimis.*

CHRISTOPHORO RANZOVIO
ET
PETRO à BOCKVVOLDEN.

NEC NON

Egregia indole & eruditione praeditis

DANIELI & MATTHIAE Cornopæis.

Clarissimi & Doctissimi Viri

M. NICOLAI CORNOPAEI Pastoris apud
Woldhornenses meritissimi filijs dilectissimis.

PETRO SANDTMANO { Primariorum apud
JOACHIMO PRAETORIO { Hamburgenses ci-
vium liberis.

HENRICO POLEMANNO

*Discipulis olim suis nunc amicis perquam
carissimis in amicitia nunquam intermoritura
tesseram.*



Dicat consecrat

Georgius Fabelius
Respondens.

05 A 776



Auspicijs SS. & Individuæ Trinitatis.

Incitis meditationibus magis proficere nos quam altercationibus dicebat olim Vives, credunt hodiè plurimi. Audiamus autem quid Vivi reponat noster Julius. oculus ille Sapientiæ. Hoc, inquit, verum non est. Etenim sicuti ex lapidum collisione ignis, ita ex disceptationibus elicitor veritas. Quin ego mecum sæpè, diu, multàm nisi pugnam, infeliciter cadet mihi. A Magistro igitur plus excitamur. At adversarius sua vel pertinacia vel sapientia mihi duplex Magister erit. Exerc. 308. Assentimur tibi sapientissime Cæsar idem edocti experientiâ. Quare in arenam exercitationum, in theatrum bonæ famæ sine jurgijs sine plebeijs rixis iterum nos dimittimus, disputaturi de re Philosophica una atq; altera scitu necessaria, atque etiam utili. Utili dico. Sicut enim Jcti pecuniariam pœnam constituunt temerè litigantibus: Ita nos arbitramur philosophicas disceptationes utilitatis planè expertes animadversionem silentij mereri. Verùm ad rem ipsam. Tu autem qui potes juva Glorioso DEUS!

T H E M A I.

Est Physica ἐπιστήμη.

I. Astruimus hoc ex definitione atq; proprietatibus scientiæ. Definitio hæc est. Scientia est habitus demonstrativus, quo percipimus conclusiones necessarias per causas veras, primas, immediatas, notiores & priores conclusionibus. Arist. 8. Eth. Nicom. cap. 3. l. 1. Magn. Mor. c. 5. l. 1. post. analyt. c. 2. Zabarella 1. post. c. 2. ad §. 7. Proprietates octo sunt. 1. rem TANTUM contemplari. 2. non producere opus. 3. Versari circa res reverà in natura exsistentes. 4. non pendere à voluntate & opera hominis. 5. Effecta per causas demonstrare.

A 2

6. non

6. non versari circa res singulares & individuas finitas. 7. Habere
subjectum unum, reale & positivum distinctum ab alijs. 8. Habere
principia & affectiones.

I I. Nascitur hinc ejusmodi ἀποδείξις. Cui disciplina conve-
nit vera definitio scientiæ proprijsimè ita dictæ, atq; insuper omnes
scientiæ conditiones, eam ipsam per scientiam rectissimè defini-
ri ponimus extra omnem dubitationem. Atqui disciplinæ physicæ com-
petit vera definitio scientiæ, atq; insuper omnes ejus conditiones.
E. De minoris veritate dubitant multi. Dissolvenda ergò sunt quæ
contrà dederunt.

I I I. Primùm ratiocinantur ita: Res physicæ fluxæ sunt & mu-
tabiles, quæ ex Elementis componuntur in Elementa vicissim inter-
eunt, & indies nova nasci, indies aliqua corrumpi quis non videt?
Quomodo ergò de iisdem potest esse scientia, utpote quæ rerum est
in corruptibilem?

I V. Respondeo. 1. Qui ex Ramæa gente hoc utuntur argu-
mento, non sunt absimiles Heraclito atq; Academicis, qui itidem re-
rum naturalium mutabilitate atq; inconstantia deterriti omnem sci-
entiam physicam dicebant opinionem. Quâ & motus olim ratione
Socrates ad Philosophiam sese contulit moralem. 2. Res physica u-
niversalis objectum physicæ est, non singularis hæc vel illa. Gene-
tur Petrus, moriatur idem, Homo nihilominus erit, quem circa oc-
cupata pars nobilis Physicæ Ἀνθρωπολογία. 3. Distinguo inter cor-
ruptibilia quatenus sunt corruptibilia, & quatenus in sese prædica-
ta quædam continent universalialia. Posteriori hoc respectu corru-
ptibilem scientia datur: Quando enim Intellectus noster in singu-
laribus corruptibilibus aliquid commune deprehendit, abstrahit
hoc ab illis ejusq; scientiam acquirit. Atq; hoc est quod alij dicunt
Physicam esse certam & rerum necessariorum ratione propositio-
num abstractarum cogitatione à rebus. Tales enim propositiones
semper uno eodemq; sese habent modo. Magir. l. 1. phys. c. 2. Coll.
Conimbr. ad procm. phys. Arist. q. 2. art. 4. 4. Astra, cælum, cor-
pora sunt ab omni corruptione exempta. Falsum ergò res physicas
omnes esse fluxas. 5. Elementa tota quis diceret generari, quis cor-
rumpi?

V. Contingentium, inquit vice alterâ, scientia nulla est.

Ac

At contingentiæ sunt quædam ὄντα physica, id quod sola docere potest μετεωρολογία. E.

VI. Respondeo 1. ex particularibus procedit conclusio. Erronea ergo. 2. Observandum scientiam unam esse alterâ præstantiorem atq; accuratiorem. Aristot. 1, 1. post. analyt. c. 24. Ita accuratior ὁπισήμη est χειρολογία & ἀνθρωπολογία ipsâ μετεωρολογία. Scientiæ tamen nomen minimè Meteorologiæ detrahendum. Etsi enim hæc neq; conclusiones summè necessarias, neq; harum terminos contineat: satis tamen illi est, ut prædicata quædam universalia, nempe de materia communi, & causis-Effectricibus comprehendat, & sublimium affectiones per propria principia demonstret. Hæc certa sunt & scientiam gignunt. Tametsi de particularibus adjunctis, ut de Quantitate, Figura, Tempore, Loco determinare non ita sit certum. Vid. Tartaret. & M. Albert. lib. 1. meteor. in com.

VII. Tertiò nolunt concedere Physicam tantum Speculari, quod ἴδιον πάθος aliàs omnis ὁπισήμης. Ita enim sophisticatur quidam (admodum ineptè & pueriliter) ex cœtu Ramæo. Agit in humanum corpus medicus illudq; sanando melius efficit. Metallici ex metallis imperfectis faciunt perfectâ. Pistorum ex frumento, varijs alterationibus intervenientibus, coquunt panem. Alchymistæ etiam rerum naturalium cognitionem ad actiones dirigunt. Ergo physica non tantum speculatur sed etiam πράττει.

VIII. Respondeo ἄλογοι hoc argumentum est, 1. Medicus enim ut Physicus in corpus non agit, nec metallici ut physici metalla transmutant, nec pistorum ut physici panem coquunt. 2. Medicina, Alchymia &c. sunt artes & disciplinæ distinctæ à physica. 3. Non debet Finis alicujus scientiæ ex intentione hujus vel illius hominis ad alios usus eam applicantis, sed ex propria natura judicari.

IX. Tandem obijciunt Solem, Lunam, stellas cæteras, cælum, mundum, Elementa. Singularia hæc esse contendunt, & nihilominus à physica considerari. R. 1. Alij distinguunt inter Solem, Lunam, & inter hunc Solem, & hanc Lunam. Sol, Luna, &c. Species sunt, inquit; hic Sol, hæc Luna, Individua. 2. Nos discernendum esse arbitramur, inter singularia. Quædam certa sunt, quæ vocantur ab alijs species monadica; quædam infinita, & perpetuæ vicissitu-

essitudinē obnoxia. Hæc excluduntur à scientia physica, non illa, qualia sunt cœlum, Sol, Luna, mundus, Terra, &c. Non enim ἀπλῶς diximus in 6. conditione: Non versari circa res singulares & individas, scientiam, sed addidimus, infinitas. Atq; hæc sunt quæ equidem sciam ab adversarijs contra Genus Physices scientiam potissimum mota.

X. Non possum autem quin hîc tangam Timplerum, qui duplici Philosophiæ consideratione, alterâ habituali, alterâ systematica, quæ tota erronea est & ficta deceptus, Physicæ Genus constituit artem, & quidem artem contemplativam. Quid est ars contemplativa? σιδηρόζηλον est, monstrum est, non absimile illi Anaxagoræ, qui nivem dicebat nigram. Nec excusabit Timplerû systematica illa Physices consideratio. Scientiæ enim essentialiter dum considerantur, in systemate considerari nec possunt nec debent, sed in subjecto suo, intellectu videlicet cui insunt, & extra quem ne ad momentum quidem consistere possunt, cum accidentis esse sit inesse, Scal. Exerc. 10. Atq; hanc nostram sententiam ut declaremus magis eamq; verissimam esse demonstramus, thema formabimus alterum.

T H E M A I I.

Totius Philosophiæ atq; ita etiam Physicæ essentia est in habitu mentis, minimè verò in libro aut systemate.

XI. Accidens est Philosophia, & proinde in certo aliquo existit subjecto. Nullum enim accidens est sine certo subjecto. Arist. in Cat. cap. 2. Scal. Ex. 6. s. 4. Quodnam verò illud subjectum primum & adæquatum sit, de eo non levis est inter Peripatericos & Anti-Peripatericos Ramæos controversia.

XII. Illi verum & proprium subjectum Philosophiæ faciunt mentem humanam, unde Philosophiam per habitum definiunt. Contrà docent Ramæi omnium Philosophicarum disciplinarum essentiam in præceptis non in habitu consistere. Quære enim ex illis, quodnam subjectum Philosophiæ sit, & respondebunt. Præcepta, Præceptorum systema, Liber. Ita enim habet thesis 23. disp. 1. cujusdam Parnassi rationis. Logica (quam pro parte Sophiæ agnoscit Parnassus) in suo subjecto est, nempe in libro, & inde ad habitum ibidem conformandum elevata in anima.

XIII. Hos

XIII. Hos inter quidam sententiam mediam amplectuntur, afferentes & in habitibus mentis, & in systemate Philosophiam considerari, primario quidem in mente, secundario verò in systemate, adeò ut saltem differentia sit in modo rei non in re ipsa. Apertè autem fatentur Philosophiam systematicè comprehendi non potuisse, nisi prius mente fuisset apprehensa. Per systema enim non intelligunt Mixti hi ipsum librum, sed illud à libro tanquam effectum conservatum à causa conservante autumant differre. Atq; cum his ipsis maximè hodiè disputandum esset, utpote quorum opinio plausibilis multorum imperitos animos occupavit.

XIV. Potest autem, ut equidem existimo, universa hæc controversia majoris *σαφηνείας* εἴνεκα seorsim duobus membris commodè explicari. Primum est: An Philosophiæ essentia Tantùm sit in habitu mentis? Alterum: An simul etiam in systemate? Prius adversus Ramæos tueor, posterius cum Peripatu meo contra Mixtos nego, fretus ab omni parte rationibus, ut spero, solidissimis.

XV. Philosophiam in Habitibus mentis, minimè verò in systemate sive libro considerari debere, probo sequentibus.

XVI. I. In eo accidens *κατ' ἑστίαν* propriè est, quò sublato ipsum tollitur. 1. post. analyt. c. 5. Atqui remoto libro sive præceptorum systemate, aut præceptis ipsis, non statim tollitur Philosophia. Tolle tu de mundo omnes libros, sapientia nihilominus erit superstes. Sunt præcepta in memoria, quorum si oblitus fueris, remanere potest in intellectu Philosophia. Sed remove mentem humanam, & unà omnem removebis Philosophiam. Ergò liber sive præcepta aut præceptorum systema non est verum, primum & adæquatum Philosophiæ subjectum.

XVII. II. Accidens illud subjectum cui inest denominat. Philosophia librum sive systema (ut abstracta solent) non denominat, sed solum hominem. Hic Philosophus est, non liber. Ergò liber non est verum Philosophiæ subjectum.

XVIII. III. Rationis Parnasso afferenti Logicæ subjectum esse librum opponimus hanc machinam. Cujusvis accidentis *ἐνεργητικῆς* subjectum verum & proprium, potest eodem uti, & ejus effectum acquirere. Verbi gratiâ, anima habitû, ignis calore, aqua frigore &c. operatur. Quidni & Logicâ subjectum ejus. Atqui liber

aus

aut systema non potest uti logica, nec sentit effectum Logicæ. Non enim syllogizat, non apprehendit notiones, non demonstrat, non definit, &c. Talia autem præstat sola mens. Quare concludo, Logicæ subjectum *ἡ ἀρετικὸν* non esse librum, aut systema sed solam mentem, sive Intellectum. Id quod erat demonstrandum.

XIX. Dogma hoc nostrum magno agmine levi tamen armaturâ instructo ivit nunquam non oppugnatum Gens Ramæa. Sagittas quas in Deambulatores vibravit fractas & contusas proceres meæ sectæ undiq; ostendunt. Ego hac ἀνασπῆ superfedeo, paucis nunc consideraturus membrum alterum.

XX. Ponit Aristoteles Peripateticorum Dux & Coryphæus l. περ. ἔρμ. c. 1. §. 2. præclarum hunc & notatu dignum aphorismum, τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ λεγόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ. Quâ sententia moti Aristotelis sectatores Peripatetici in libris nil nisi nudum Philosophiæ signum habitum Philosophicum qui in mente est repræsentans existere defendunt. Cui suæ sententiæ majoris confirmationis causa & hanc apponunt rationem.

XXI. Cujus gratia libri primò & principaliter sunt inventi, id proprium eorum munus censendum est. Sed libri principaliter ob id sunt inventi, ut animi nostri & significant & alteri aperiant conceptus. Ergò hoc eorum munus erit & verum officium.

XXII. Hic produnt se apud Mixtos cornua Ramæa. Philosophiam enim in libris non signotenus, verum etiam essentialiter existere quantumvis secundariò astruere conantur. Considerabimus proinde in quibus sibi placent argumenta.

XXIII. r. à pari argumentantur. Si Theologia potest considerari Essentialiter in sacro codice, & systemate Theologico, pari ratione Philosophia potest considerari in systemate Philosophico Essentialiter: At verum prius testibus omnibus Lutheranis contra Pontificios & inprimis Franciscum Costerum disputantibus, quod pag. 44. Enchiridij sui affirmaverat, Theologiam in sacro codice esse literam mortuam scriptam atramento in membrana seu charta. Ergo.

XXIV. Respondeo. Non à pari sed à dispari argumentum ducitur. Probo. Theologia inest propriè menti divinæ, Deoq; est Essen-

Essentialis, non primò inexistit humano intellectui. Ut vero & nos aliquam cognitionem de Deo haberemus, necesse fuit ut ad exemplar illius cognitionis divinæ conformemur, quod fieri non potest nisi ad sacras literas respiciamus, in quibus quod scire debemus expressum est. Unde est quod Theologia extra scripturam nequeat considerari. Philosophia autem, quia ex mente nostra tota prodijt, etiam in ea debet considerari. 2. Theologiæ habitus inest nostræ menti tanquam subjecto, sacro codici tanquam principio & fundamento.

XXV. Alterum argumentum à naturâ signi seu imaginis. Nudum signum tantum signat & non producit simul Effectum: Atqui comprehensio præceptorum una cum reliquis causis producit Effectum, seu habitum Philosophicum. Ergo non est nudum signum.

XXVI. Respondeo. Verum est, signum non esse ejus causam cujus est signum, potest interea esse alterius causa, quod cum priori illo cujus signum est, specie convenit. Exemplum duplex addo. Imago Lutheri conspecta, producit in mea mente speciem similem: Aristotelis Organon signum Logicæ ejus quæ in mente fuit Philosophi, causa est habitus Logici in mea & tua mente. Quare concludo: signum pro diverso respectu & esse causam, & signum.

XXVII. Argumentum tertium à forma exemplari. Secundum quod fit ἀνάλυσις & γένεσις, & de rebus Philosophicis redditur ratio, id est Philosophia. Sed secundum doctrinam systematicam fit ἀνάλυσις & γένεσις, & de rebus Philosophicis redditur ratio. Ergo doctrina systematica est ipsa Philosophia.

XXVIII. Respondeo. Instituitur ἀνάλυσις & γένεσις & judicatur de rebus Philosophicis ex libris, non quatenus libri sunt, sed quatenus habitus menti inclusos designant, perinde uti ex literis imperatoris, quid hac vel illa in re imperator fieri velit, colligitur, non quatenus literæ sunt, sed quatenus imperatoris voluntatem aperiunt.

XXXI. Argumentum Quartum ab objecto nostræ intellectio- nis. Doctrina in systemate est objectum seu subjectum nostræ cognitionis & discantis & docentis. Ergo est causa Efficiens intellectio- nis. Objectum enim secundum Scalig. Ex. 307. l. 21. est causa Efficiens intellectio- nis, Ergo & doctrina Philosophica, in systemate est considerand.

B

30. Respon-

XXX. Respondeo. Falsum est objectum intellectio-
nis esse li-
brum. Res est, libro designata: non enim liber, sed res intelligibi-
lis intellectui unitur. Sed satis. Transeundam ad aliud.

Τ Η Θ Ε Μ Α III.

Ἀντικείμενον ἢ ὑποκείμενον γένος scientia physica est σῶμα
Φυσικόν, ἢ κινητὸν Corpus naturale sive Mobile.

XXXI. Hujus enim inquit Physica principia, hujus affe-
ctiones, hujus itidem declarat species. Posuit Aristoteles cujusvis
subjecti scientifici adequati κριτήρια quatuor. post. Analyt. c. 8. 9.
& 23. §. 42. quæ exactè corpori naturali in physicis convenire dabi-
mus probatum.

XXXII. Primum est: Subjectum sit *πρόσῳπον*, ὅτι καὶ ἔστι
τὸ σημανόμλον. At quid corpore naturali, in Physica est notius &
prænotatur & quod sit & quid sit, siquidem γνωρίζοντι per
quod demonstratur in ea invenire non possumus. Quo respexit
ipse Physicus: ὡς ἔστιν ἡ φύσις, inquit, πειρᾶσθαι δεικνύνααι γελῶιον.
Quod sit natura, tentare demonstrare ridiculum est. Φανερόν γδ ὅτι
ποιᾶντα τῶν ὄντων ἔστι πολλά. τὸ δὲ δεικνύνααι τὰ Φανερά δια τῶν ἀ-
φανῶν δὲ δυναμῶν κείναι ἔστι τὸ δι' αὐτὸ καὶ μὴ δι' αὐτὸ γινώσκον. lib.
2. phys. cap. 1.

XXXIII. Secundum est: Subjectum sit *ὑπόστατον*, rei nulli
in ea doctrina consideratæ inexisteret. Verissimum idem de Mobili
corpore, quod universis in naturali Philosophica traditis subjacet,
nulli autem ἐνυπάρχου ἐνυπάρχει scilicet subjectivâ. Quicquid e-
nim in Physicis est vel principium σωματὸς Φυσικῆς est, vel affectio
eâq; aut generica aut specifica, vel quædam species.

XXXIV. Tertium est: Subjectum non sit in alia disciplina
tractabile. Hoc exactè competit corpori naturali, quod aliam sci-
entiam considerare Physicam præter quis doceret? ἐπαγωγὴν adhibe
omnium scientiarum, & spontè præbebis assensum.

XXXV. Quartum est. Doceantur subjecti scientifici pro-
pria & affectiones καὶ αὐτὰ συμβεβηκότα, prima item ejus prin-
cipia & species. Jam doceri principia corporis naturalis in Phy-
sicis, ejusq; propria πάθη cui est ignotum, fortè ei, cui Physica
ἴψα? Quàm pulchrè docuerit, & quàm verè Philosophus noster de
princi-

principijs corporis naturalis tam internis quam externis, tam de ijs
quæ per se sunt, quam quæ per accidens, testis sit liber 1. & 2. Φυσικ.
ἀπορίας. quam benè quoq; de corporis naturalis affectionibus, mon-
strat 1. 3. & 4. ejusdem autcultationis. Sunt in Physicis quoq; τὰ μέ-
γη sive εἶδη Φυσικῶν σώματος. Est ἄρατος, sunt στοιχεῖα, sunt μικτὰ,
Φυτὰ, ζῶα, ipse ἄνθρωπος, de quibus Physicus noster exactè libris
4. de Cælo, duobus de gener. & corr. 4. Meteor. historia, partibus,
generatione & incessu animalium, libris item 3. de anima &c.

XXXVI. Quare concludo verum & adæquatum scientiæ
Physicæ objectum non esse nisi corpus mobile sive naturale. Sumit
enim pro uno & eodem Philosophus ipse Φυσικὸν καὶ κινητὸν, nam
6. Metaph. c. 1. ὅτι κινητὰ φυσικῆ ἐπιστήμης scribit.

XXXVII. Notanda autem est vocis Mobilitatis, ὁμωνυμία.
Mobilitas in corpore sumitur aut pro aptitudine ad motum, quæ
qualitas est, aut pro principio à quo hæcce profilit. Posteriore in si-
gnificatione accipitur Corpus Mobile, cum statuitur hysicæ Pobje-
ctum, & nihil aliud denotat quam naturale. Si namq; acciperetur
modo priore, modus considerandi demonstraretur per causam pro-
ximam de reconsiderata in Physica, quod foret maximum absur-
dum.

XXXVIII. Quare observatâ hac τῆς Mobilis distinctione,
facile poterit refutari Timplerus, qui cap. 1. phys. gen. q. 3. Corpus
mobile pro vero physicæ objecto non agnoscit, ideò quod modus
iste considerandi per τὸ Mobile expressus sit arctus nimis & angu-
stius, cum Physica corpus naturale contempletur, non solum quate-
nus est mobile, sed etiam alijs modis. Attendit hic recentior phy-
sicus priorem significationem Mobilis, quare peccat fallaciâ, quæ est
ὅτι τὴν ἀγνοίαν τῶν ἐλέγχων.

COROLLARIA.

I. *Culpandus nè Aristoteles, quod obscurò dicen-
di genere eoq; brevissimo Philos. phiam
involvit, eo tantùm fine ne ab omnibus
intelligeretur?*

B 2

Culpandus

Culpandus? Commendandus potius ob id atq; laudandus. 1. Propositum erat viro isti verè Sopho rerum hac atq; verborum obscuritate, quam ex industria sectatus est, animos ingenuorum magis excitare. 2. Quid quod non omnibus revelanda *Sophiæ* secreta? Abeat enim ab hoc sacro profestum & profanum vulgus. Sint procul ignavi fuci. Nihil cum fidibus graculo, nihil cum amaracino sui. 3. vilesceret quoq; *Philosophia* si omnia plana forent atq; perspicua, & quod in alijs sæpe fit ab ineruditis satis sobriè non tractaretur. 4. Atque si reprehendendus Philosophus, culpandi simul erunt plerique Poëtarum veterum, Pythagoras, ipse Plato. Illi enim fabulis, iste numeris, hic Idæis *Sophiam* adumbrarunt.

II. *Repugnantne Physicæ σοιχεῖα sive præcepta per se verbo revelato?*

Minimè gentium. Diversa sunt liber Naturæ & liber Scripturæ, non adversa. Lumen enim gratiæ non destruit sed perficit, non tollit sed extollit, non extinguit sed accendit lumen naturæ. Et profectò si verum est, Physicam Theologiæ contradicere, sequitur quod ipse Deus, qui veritatem Physicæ libro Naturæ inscripsit, eandem rejiciat in libro gratiæ, tanquam falsam & à veritate alienam, adeoq; sibi ipsi contradicat, & quod blasphemū dictu, mentiatur. 2. Si quoque verum physicum, per se erit falsum in Theologia, idem erit simul verum & falsum. *ἄλογον καὶ ἄσοφον.* Nullum enim Ens simul est & non est. 3. Nullum proferre possunt *Adversarij Veritatis* exemplum, nullam propositionem Philosophicam quam Theologicis regulis *καθ' αὐτὸ* oppositam esse demonstrant. Observa enim quod in omnibus quæ hætenus in medium adduxerunt, errorem commiserint *ὅσα τὴν ἀγνοίαν τῶν ἐλέγχων* non tenendo illam veræ & legitimæ oppositionis regulam, quæ præcipit ut opposita sint *κατὰ τὸ αὐτὸ & πρὸς τὸ αὐτὸ.* Credit Theologia Physicæ ἀξιώματα, qualia sunt: *Ex nihilo nihil fit; Ex aliquo non fit nihil; ἀγεννητόν, scilicet; Quod semel interijt idem numero nunquam renascitur; Nullum corpus simul & semel est in duobus locis &c.* Philosophicè omnia vera esse in naturalibus: Ea quæ in mysterijs obtinent locum ijs per se non concuti intelligit optimè. Ignorat enim Philosophia mysteria, ergò nec vera
nec

nec falsa ea dijudicat esse, sed pro ijs habet quæ captum ejus & ambitum (Myſteria enim propriiſſimè loquendo ſupra Philoſophiam ſunt, non contra eam) excedunt, miraturq; potius quàm quod ſibi & ſuis ea edicat contraria principijs. Rectè ergò dicit Theologia: Per creationem ſupernaturaliter (non ait per generationem, naturaliter) aliquid fit ex nihilo. Rectè Philoſophia: per generationem naturaliter (non ait per creationem, eam enim ignorat) aliquid ſemper ex aliquo, & ex nihilo nihil fieri. Atq; ita diverſum ſubjectum & reſpectum optimè percipis, quò dato omnis vera exſpirat pugna & contrarietas. Tamen verum philoſophicè dicunt quidam falſum Theologicè? Reſpondet ſolertiſſimus Theologus Dn. Ioan. Gerhard. Tomo I. Loc. Theol. pag. 175. eleganter admodum, intelligendum videlicet hoc eſſe certo reſpectu, nimirum ratione vicioſæ applicationis. Hunc lege, non pænitebit. Si quæ à nobis obſcurius dicta, explanabimus ἐν τῇ συζητήſει.

III. Ducimurnè in cognitionem DEI, quod videlicet ille ſit, rerum phyſicarum diligenti ſcrutatione?

Utiq; Duo enim ſunt quæ in cognitionem DEI ducunt, Creatura & Scriptura. Auguſt. ſuper Pſal. 34. Hinc inviſibilia ejus ex creatione Mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur, ipſaq; æterna ejus potentia ac divinitas Rom. 2. v. 15. Plusquam ergò cæci ſunt Photiniani illi, quos in perniciem multarum animarū Diabolus infenſiſſimus humani generis hostis ex orco in Mundi hoc Theatrum nuper emiſit, ſtaruentes DEUM lumine naturæ, nullo modo cognosci poſſe. Ita enim ſamoſatentanus ille Oſterodius. Neq; à natura; neq; ex creaturarum contemplatione DEVS cognoscitur, ſed tantum famà de DEO extrinſecus homines addiſcunt, quod aliquis ſit DEVS &c. In Conf. Germ. Anno 1604. Sed hac de re ſuo loco fuſius. Legantur interea Dn. Schröderus in opuſculo ſuo Theologico. & Dn. Gerhard. Tom. I. loc. Theol. pag. 210.

IV. Suntne unum idemq;: Naturà Eſſe, ſecundum

B 3

dum

dum Naturam esse, præter Naturam esse, contra Naturam esse, supra Naturam esse?

Non sunt. 1. *Natura esse* dicuntur omnia ea quæ essentialiter rem naturalem insequuntur; Ita natura sunt omnes propriae corporis naturalis affectiones, Mobilitas, Finitas, Locabilitas, Temporalitas. 2. *Secundum Naturam esse* dicuntur quæ naturæ conveniunt, eamq; perficiunt. Refero huc artes, virtutes, linguas. 3. *Præter Naturam esse* dicuntur ea, quæ non fiunt secundum Naturæ præscriptum & communem ordinem, sed non nihil ab eodem abeuntia vim tamen insigniorem quandam ei non inferunt. Ita præter Naturam est si quis sex digitis, aut unâ tantum nascatur manu. Refero huc monstra, quæ dicuntur *παρεκβάσεις* aberrationes à Naturæ fine cuius gratia illa agit. 4. *Contra Naturam esse* dicimus ea, quæ fiunt naturam maximè violata, sive quæ fiunt contra communem Naturæ ordinem & cursum, eiq; vim inferunt insignem. Ita contra naturam hominis est in & sub aquis vivere; contra naturam piscis, in terra arida aliquandiu degere. Breviter. Quodvis malum Bono naturæ (quod *Scoliger Exerc. 307. s. 27.* congruentiam quandam Naturæ appellat) oppositum dicitur esse contra Naturam. 5. *Supra Naturam* (naturatam intelligo) ea sunt quæ fiunt vel *ἀμέσως* vel *ἐμμέσως* à sola infinita Natura Naturante, quæq; Natura Naturata non intelligens maximo cum stupore admiratur. Refero huc Mystera, qualia sunt: Incarnatio *τὸ λόγος*, Partus virginis, CHRISTI HOMINIS omnipræsentia, Petri Christi q; super aquas ambulatio, penetratio & permeatio Salvatoris per saxum sepulcri, ingressus per januas clausas, ferri natatio & quæ alia multa. Atq; ex his patet decisio quæstionis: An DEUS rectè dicatur agere contra Naturam? Licet enim in vocabulis curiosè versari displiceat, nec in communi usu sic loqui prohibeamus, rectius tamen dici videtur DEUM agere præter & supra, non contra Naturam. Cùm DEO non sint tribuendæ actiones oppositæ, nec Natura DEO repugnet, sed quam promptissimè suo conditori obediat.

V. Idconè

V. *Ideonè corpus mobile pro subjecto Physica
non agnoscendum, quia circa illud nego-
ciosus etiam artifex?*

Putant plurimi. Audiamus autem Scaligerum. Sicut cæteris
scientijs prima Philosophia: Sic materialibus artibus principia tra-
dit Naturalis. Ab hoc accipit Astronomus quæ sibi retineat ad mo-
menta supputanda: quæ det Agricola, Nautæ & Medico fortasse. O-
mnis enim cogitatio nostra, quæ quidem tendit ad scientiam, omnis-
que contemplatio citra primam Philosophiam est aut cum motu,
aut circa motum, aut de ijs quæ ad motum spectant affectionibus.
Motus autem formalis ratio Philosophi. Hæc nostræ delitiæ Scali-
ger l. 2. de Plantis pag. 295. Colligo inde longè alium habere con-
siderandi modum Artificiales, quàm habent Naturales circa corpus
occupati. *Paucis.* Non contemplatur artificialis, sed *ποιεῖ*, non
facit naturalis sed *ἔργει*. Quid ergò mirum quod Ar-
tes quoq; circa corpus Mobile?



7



05 A 776


ULB Halle
003 767 027

3



VD 77 M.





1914.2200
ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ PHILOSOPHICA

De
VERO GENERE, GE-
NUINO ET PRIMO ἙΠΑΡΚΤΙΚῶ SUBJECTO,
ADÆQUATO OBJECTO DO-
CTRINÆ PHYSICÆ.

PRO CUIUS VERITATE
In Alma Uitebergâ
DEO TRINUNO ANNUENTE

SUB PRÆSIDIO
M. MARTINI TITII
QUEDLINBURGENSIS.

Respondebit
Georgius Fabelius Lunæ-
burgensis.

Ad diem 19. Januar. horis à 6. matutinis.



WITEBERGÆ,
Ex officina typographica Martini Henckelij.
ANNO M. DC. XI.

Rev. & Dodisf. viro On. Joanni Meyero. Diacono Be-
olim. Fantini seu amio Journale mittit hoc explicatum
Autor